



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Sancti Gregorii Papæ Primi Cognomento Magni Opera

In Tres Tomos Distributa. Ex quamplurimis MSS. Codicibus emendata ;
Additæ Sunt Quædam Notæ in Dialogos & Epistolas ejusdem S. Gregorii

Gregor <I., Papst>

Lutetia Parisiorum, 1675

Præfatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74915](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74915)



SANCTI
GREGORII MAGNI
PAPÆ PRIMI
VITA
A IOANNE DIACONO SCRIPTA.
Libris Quatuor.

P R Æ F A T I O.

Beatissimo ac felicissimo D. Ioanni sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ
Præsuli, Ioannes ultimus Levitarum.

NUPER ad vigiliis beati Gregorij Romani Pontificis, Anglorum gentis Apostoli, lectione de Paulino civitatis Nolanae præfule consuetudinaliter personante, visus es à venerabilibus Episcopis, divino quodam instinctu commotus, requirere, cum tantus Pontifex, qui multorum Sanctorum vitas texerat, gestis propriis in propria dumtaxat ecclesia caruisset: præsertim cum & apud Saxones, & apud Longobardorum sibi prorsus infensissimam gentem, gestis propriis ubique polleret. Cumque venerabiles Episcopi has ab utriusque gentibus haberi quidem, sed compendiosissimè, responderent: meam quoque parvitatem consciscens, præceperas, ut vitam ipsius de serinio sanctæ Sedis Apostolicæ tantò plenius, quantò certius carpere studissem. Sed dum ego proprie meritiæ conficius, me meis prioribus, ac sapientioribus, qui vitam eius, licet breviter, tamen pio conatu, * pulcherrimoque stylo descriperant, conferre penitus dubitarem; identidem iubendo vehementer hortatus es, ut Romane Sedis Pontificem, eiusdem sedis præfulis auctoritate describerem, cui Deus omnipotens probandorum, seu repellendorum scriptorum omnium specialem dederit proculdubio potestatem. Itaque tam imperiosis auctoritatibus tandem compulsus, vix primum librum Gregorianæ vitæ compleveram, quando hunc in eiusdem vigiliis annus vertigine revolutis, tua probavit pariter, ac publicavit auctoritas. Ergo sollicitior factus ad cetera, pauca de multis, te inceptor, te præceptore, te fautore, teque iudice, colligens, in libris quatuor, auxiliante Domino, coartavi: & secundam distributionem eiusdem doctoris, * qui librum regule pastoralis quadripartita ratione distinxerat, ego quoque illum, qualiter ad * culmen regiminis venerit, in primo huius operis libro perhibui; & ad hoc rite perveniens, qualiter vixerit, in secundo disserui: & bene vivens, qualiter A docuerit, in tertio designavi: & rectè docens, infirmitatem suam quotidie quanta consideratione cognoverit, in quarto conclusi. Neque magnopere tempora temporibus contuli, sed rebus similibus similia coaptavi: quoniam vera non tantum quando fecisset, sed quantum fecisset, sollicitus deslorare curavi. In quibus quamquam multa & varia memoratu digna studio brevitatè omiserim, nihil memini me posuisse; quod scriptorum veterum nequeat auctoritate defendi, exceptis illis miraculis, quæ nostris temporibus facta, * multorum adhuc superstium viris vocibus celebrantur. Si cui tamen, ut asselet, visum fuerit aliter, ad plenitudinem serinij vestri recurrens, tot chartaceos libros epistolarum eiusdem patris, quot annos probatur vixisse, revolvat. Et quia quedam illarum, vario tempore destinate, * varium sensum retinent: eademque nonnullis integræ, quibusdam vero parte aliqua diminutæ pro personarum, locorum, sive temporum dispensatione videntur, sinetenus relegendo conspiciat: sicque demum lucidam veritatem cognoscens, me aut cum amassis defendat, aut cum osoribus arguat: quamquam in eo, quòd tuo iudicio placeo, cunctis veritatem tuentibus me perpetuò placiturum fore præsumam. Peto igitur, ut, sicut tuis iussionibus humiliter parui: sic beati Gregorij precibus, & in hoc seculo ab emulorum insidiis, & in futuro à peccatorum nexibus merear misericorditer liberari per Iesum Christum Dominum nostrum. Amen.

CAPITA LIBRI PRIMI.

DE genere beati Gregorij. Caput primum
* De nomine, quod is habuit conveniens vitæ studii. * al. Quod
cap. ij. fuerit.
De institutione eius. cap. iij.
Prætor urbanus exprimitur. cap. iv.

* al. pulcherrimeque

* al. qua

* al. locum

* al. à multis adhuc superstibus.

* al. varietatem sensuum